DISSERTATIO ACA

DE

AUTHORI

CANONI

dicti Johannis I. Epist

DE TRIBUS IN COELO

HANC,

DEO TRIUNO CLEMEN

PRÆSID

JOHANNE A

OSIAND

GRÆCÆ LINGUÆ PROF

FACULT. PHILOSOPH. DECANO

h. t. UNIVERSITATIS R

D. JULII A. MDCC

PRO GRADU M

RITE OBTINEND

IN AUDITORIO PHILOSOPH

PUBLICO EXAMINI SU

JOHANNES JACOBUS

BRACKENHEIME

THEOPHILUS FRIDER

DORNHANUS

PHILOSOPHIÆ CANDIDATI & SER

TUBINGÆ, TYPIS VIDU

ACADEMICA,

RITATE
NICA

I. Epist. V. 7.

DELO TESTIBUS.

C,

MENTER JUVANTE,

SIDE

ADAMO

DRO, Johann Ada[illegible]

ROF. PUBL. ORDIN.
CANO, CONTUBERNII &
TIS RECTORE,

MDCCXLV.

MAGISTERII

NENDO,

OPHORUM ÆSTIVO,

I SUBMITTENT

BUS RAPPOLT,

IMENSIS,

DERICUS FABER,

NUS,

SERENISSIMI STIPENDIARII.

VIDUÆ ROEBELIÆ.

§. I.

Quemadmodum vino vendibili non opus eſt ſuſpenſa hedera, ita nec oraculum Johannis de tribus in cœlo teſtibus noſtra opus habet commendatione, quippe quod unicum eſt in toto canone biblico, ex quo plurima, eademque ſublimiora religionis chriſtianæ dogmata probari poſſunt. Scilicet in dicto Apoſtoli, quod mox ex fonte dabimus, fundatur I. 1) Perſonarum in Deitate pluralitas. II. 2) Earundem determinata Trinitas. III. 3) Trium teſtium dignitas.

1) Nimirum in plurali numero ſiſtuntur à Johanne α) οἱ μαρτυροῦντες, β) iidem vocantur οὗτοι, & γ) verbum plurale εἰσὶ bis de illis uſurpatur. Ad evitandam ſuſpicionem de numero ſaltem duali inſinuantur οἱ τρεῖς, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, ut mox habebimus. Multiplicatis vero ſic teſtibus, oppido multiplicantur perſonæ, quia teſtem propriè loquendo nemo agere poteſt, niſi perſona, quæ teſtimonium intelligat, & teſtimonium dare velit.

2) Hoc fine τρεῖς duabus vicibus, & ſemel cum articulo ab Apoſtolo commemorantur, ut nec plures, nec pauciores, quam tres in Deitate perſonas crederemus. Ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα quot ſunt? Sine dubio tres. Hic modus loquendi biblicus ſufficit, licet terminus Trinitatis abſtractus totidem ſyllabis in ſacro codice non legatur. Egregiè C. Wolfius: „Vox Trinitatis, etſi in Scriptura Sacra non legatur, ſignificatum tamen obtinuit Sacræ Scripturæ conformem, ut alia ſint ejuſdem verba, quibus eadem notio reſpondet, quam ad vocem Trinitatis referimus.„ Quid fiet cum aliis vocabulis eccleſiaſticis, quæ, licet ſint ἄγραφα, eapropter tamen non ſunt ἀντίγραφα. Idem judicium ex æquo feratur de vocabulo Trinitatis.

3) Dicuntur οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, quorum μαρτυρία juxta ſequentem verſum 9. & 10. eſt teſtimonium ipſius Dei, manifeſto argumento, Johannem ſe ipſum expoſuiſſe, quod perſonas divinas indicare voluerit. Neque inſolens eſt, cœlum poni pro ipſo Deo, ſi de cœlo gloriæ & majeſtatis divinæ agatur. Confer Matth. XXI. 25. Luc. XV. 18. 21. Jo. VI. 33. Finge etiam, Johannem loqui de cœlo beatorum, tum habebis teſtes innumeros, angelos puta in bono confirmatos, atque animas electorum ſeparatas, quod contrariatur ſcopo Scriptoris ſacri, qui numerum præciſè ternarium teſtium in cœlo præponit numero ternario teſtium in terris. Sunt itaque hi teſtes cœleſtes iidemque divini.

IV. 4) Ordo eorum exactissimus. V. 5) Personarum distinctio. VI. 6) Personæ primæ denominatio. VII. 7) Personæ secundæ descriptio. VIII. 8) Personæ tertiæ nomenclatio. IX. 9) Spiritus Sancti personalitas. X.

4) Alibi ordo personarum divinarum aliter observatur, uti Joh. XIV. 16. 17. XV. 26. 2. Cor. XIII. 13. Gal. IV. 6. Eph. II. 18. 1. Pet. I. 2. Apoc. I. 4. 5. Heic vero ordo subsistendi, qui & ordo enumerationis & relationis dicitur, curate ponitur, ut prima persona sit Pater, qui à nullo est; secunda Filius, à Patre genitus; tertia Spiritus S. à Patre Filioque procedens. Hinc scripsit KOENIGIUS in Theol. Posit. Acroam. p. 31. "Ordo in subsistendo est ex diverso modo eandem numero essentiam habendi: Hanc enim Pater habet à se ipso, tanquam fons & principium SS. Trinitatis, atque inde prima persona est: Filius eandem habet à Patre per æternam generationem, atque inde secunda persona est: Spiritus S. à Patre & Filio per æternam spirationem, atque inde tertia divinæ essentiæ persona est & dicitur."

5) Alius est Pater; alius est Filius; alius est Spiritus S. Accedit, quod ad distinctionem personarum cuivis personæ articulus fuerit præpositus.

6) Patris nomen exprimit Johannes ὑποςατικῶς, propter opus ad intra, quo ab æterno filium sibi coëssentialem genuit. Si vero terminus patris sumatur essentialiter, & opera divina considerentur ad extra, Filius quoque est Pater, & Spiritus S. est Pater. 2. Cor. VI. 18. 1. Pet. I. 17. Jac. I. 17.

7) Ex natura relatorum, cum præcedat Pater, λόγος est Filius, correlatum Patris, verbum hypostaticum; quæ appellatio filio qua testi egregiè competit. Quin &, judice LAMPIO, nomen λόγου relationem personalem inter secundam & reliquas SS. Triados personas includit, tum quoad Patrem, à quo distinguitur, uti sermo à loquente, tum quoad Spiritum S. à quo distinguitur, uti verbum à halitu oris, sermonem ad aurem aliorum perferente. Plures hujus denominationis rationes legi possunt in Exercitat. Thummianis p. 35. & Diss. SCHROEERI de λόγῳ idea Dei §. 21.

8) Ea vocatur heic Spiritus, non ratione essentiæ spiritualis, quam cum Patre & Filio communem habet, Joh. IV. 24. nec intuitu operum ad extra, quæ virtutem spiritualem maxime activam insinuant, quippe quæ omnibus Deitatis personis sunt communia; sed à modo subsistendi, qui est partim processio à Patre & Filio per spirationem æternam, partim missio in tempore in corda fidelium. Conf. Joh. XIV. 26. XV. 26. XVI. 7. Gal. IV. 6. 2. Thess. II. 8. Apoc. XXII. 1.

9) Est enim testis æquè ac Pater & Filius, de quorum personalitate inter nos & dissentientes non est dubium. Si exceperis, etiam memorari tres testes in terra, qui eapropter non sint personæ, cape responsionem Theologi veterani: "Distinguo inter testem propriè & figuratè acceptum. Dum dicit Johannes, tres testes esse in cœlo, loquitur de testibus propriè sic dictis, quod patet ex eo,

X. 10) Ejusdem officium œconomicum. XI. 11) Trium personarum ὁμουσία. XII. 12) Essentiæ divinæ simplicissima unitas. O altitudo! O profunditas! Cum itaque tot tantæque, imo forte plures adhuc veritates dogmaticæ ex hoc loco adstrui possint, magnæ profecto necessitatis & utilitatis res est, cum Viris clarissimis avthentiam ejus roborare argumentis tam internis, quam externis, vel & eapropter, quia sudes is fuit in oculis adversariorum religionis christianæ, qui eum textui biblico intrusum esse vociferati sunt dudum, eandemque calumniam ad nauseam usque nostris quoque temporibus repetere haud erubescunt. Ipse autem Deus Triunus, pro cujus honore calamum intingimus, meditationibus nostris plurimùm benedicat!

§. II.

Johannes primæ epistolæ capite quinto, commate septimo ait: Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· καὶ

quia Pater utique est persona testans. Filius est persona testans, agnoscentibus ipsis Photinianis. Quid igitur obstat, quo minus Spiritus S. quoque persona sit testans. Quodsi Spiritus S. solum esset virtus, non tres, sed duo tantum emergerent testes in cœlis. Sed in versiculo de tribus testibus in terra, sermo est de testibus figuratè sic dictis. Loquitur enim totus versiculus de rebus, non de personis."

10) Sanctus appellatur Spiritus appropriativè & οἰκονομικῶς, propter opus sanctificationis, quod in justificatis auspicatur & continuat. 2. Thess. II. 13. Adde Holzfusii Diss. de Sanctificatione p. 2. Alibi sanctus vocatur ob essentiæ sanctitatem, quam cum Patre & Filio communem habet Jes. VI. 3. quemadmodum & ab ipsa sanctificatione neque excluditur Pater Joh. XVII. 11. 17. neque Filius 1. Cor. I, 30. Eph. V. 25. 26. 27.

11) Hoc scopo non ait Johannes: hi tres unum volunt, sed καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. De testibus in terra aliter pronunciat, quod sint & tendant εἰς τὸ ἕν, quod benè ad consensum refertur, sed tres esse unum, identitatem essentiæ propriè infert. Confer omninò Joh. X. 30. unde & Judæi vim verborum sentientes, Servatorem tanquam blasphemum lapidare voluerunt ℣. 31. 33. profecto non propter unitatem consensus cum Patre, sed propter unitatem essentiæ divinæ. Sic Johannes ex Johanne optimè intelligitur, & vocabulum ὁμουσίας, si quem offendat, dimitti potest, cum & vox ὁμοούσιος abusui olim exposita fuerit, monente inprimis Buddeo in Instit. Theol. Dogm. p. 298 sqq & Fechtio in Lect. ad Syllog. p. 144. sqq.

12) Nihil ferè clarius potest dici, quam quod pronunciavit Johannes de tribus personis ἕν εἰσι, ut evitari posset tritheismus, error fidei longe gravissimus. Adde Deut. VI. 4. coll. Marci XII. 29. Matth. XIX. 17. 1. Cor. VIII. 4. 6. Eph. IV. 6. 1. Tim. II. 5.

ὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. Hæc verba ſunt pomum illud eridos, digniſſima, ut eorum γνησιότης ſolide adſtruatur, & ſecus ſentientium tela depellantur. Nec remoram faciunt quædam variationes, quas circa hunc textum notarunt 13) POLUS, 14) MILLIUS, 15) WOLFIUS, 16) BENGELIUS, 17) MASTRICHTIUS, 18) RECHENBERGIUS, quippe quæ ſe ipſas produnt, quod nullam mereantur attentionem, & ab incuria librariorum ſint profectæ, & plura exemplaria manuſcripta haud occupaverint, & ab omnibus Criticis ne quidem pro lectionibus variantibus tutò habeantur. Ita voces ἐν τῷ οὐρανῷ non ſine formidine oppoſiti deeſſe dicuntur in Steph. δ. ε. ζ. θ. ι. ια. ιγ. Ita articuli commatis ſeptimi deſiderantur in Codice Britannico. Ita vox ἅγιον haud ubivis reperitur. Ita denique Codex octavus Barbarini Cardinalis legit εἰς τὸ ἕν εἰσι.

§. III.

Eunti in rem præſentem haud difficile eſt, oraculi noſtri evincere γνησιότητα, ſi is probè conſideraverit ſcopum Johannis in capite quinto primæ ſuæ epiſtolæ, ex quo dictum noſtrum eſt petitum; ſi rectè attenderit ad textus noſtri antecedentia; ſi altiori meditationi ſubjecerit ejusdem conſequentia; ſi animum dextrè adplicuerit ad ſtylum Johannis, quo alibi de tribus in cœlo teſtibus verba fecit; ſi abſurda recogitaverit, quæ ex omiſſione hujus dicti ſponte ſua bibliophilo ſe offerunt; ſi denique in ſubſidium, uti par eſt, vocaverit analogiam fidei ſcripturariam, quæ myſterium Trinitatis & unitatem eſſentiæ divinæ, tam in Veteri, quam Novo Teſtamento abunde comprobat.

§. IV.

Scopus Apoſtoli nullo negotio intelligitur, quod ex profeſſo commendet veram fidem in Jeſum Chriſtum, filium Dei, qui eſt ὁ ἀληθινὸς Θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Characteres & fructus hujus fidei ſunt regeneratio ex Deo ℣. 1. amor Dei & filiorum ejus ℣. 1. & 2. mandatorum divinorum, quæ regenitis non ſunt difficilia, obſervatio ℣. 2. & 3. victoria de mundo ℣. 4. & 5. teſtimonium Spiritus S. internum ℣. 6. certitudo vitæ æternæ ℣. 11. 12. 13. imperterrita Dei invocatio ℣. 14. precum exauditio ℣. 14. 15. interceſſio pro fratre peccante non ad mortem ℣. 16. peccatorum proæreticorum fuga ℣. 18. accuratum bonæ conſcientiæ ſtudium ℣. 18. immunitas ab inſidiis diabolicis ℣. 18. communio cum Chriſto ℣. 20. ſeparatio ab idololatris ℣. 21. Media fidei ſunt baptiſmus ℣. 6. S. cœna

13) Synops. Critic. Vol. V. f. 1540. ſq.
14) N. T. G. f. 578. 15) Cur. Philol. & Crit. ad h. l. p. 307.
16) Nov. Teſt. Græc. Maj. p. 771. & Gnom. N. T. p. 1064.
17) N. T. G. p. 521. 18) N. T. G. p. 1036.

S. cœna ℣. 6. verbum evangelii ℣. 6. Opposita sunt incredulitas, qua infideles Deum faciunt mendacem ℣. 10. peccatum ad mortem ℣. 16. omnis iniquitas ℣. 17. malum, in quo totus mundus jacet ℣. 19. idololatria ℣. 21. Omnia hæc scitu necessaria sunt in doctrina de vera fide in Christum, sed medulla adhuc deficit, fundamentum scilicet hujus fidei, idque immobile, testimonium puta divinum de Christo, non tantum mediatum, per tres testes in terra quod exhibetur ℣. 8. sed & immediatum, quod per tres testes in cœlo de eodem datur ℣. 7. Judicet nunc lector à partium studio alienus, an Johannes, scopo suo convenienter acturus, potuerit omittere dictum palmarium de tribus in cœlo testibus? Ego id nullatenus crediderim. Nam fidei nostræ in Christum basis ea necessaria est, quam nec portæ inferorum omni sua vi adhibita superare possint.

§. V.

Gravissima sunt, quæ Johannes inde ab initio capitis quinti usque ad comma nostrum septimum scripsit; qualia sunt de regeneratione ℣. 1. de præceptis Dei non gravibus eorundemque observatione ℣. 2. 3. de fide, quæ operatur victoriam mundi ℣. 4. 5. de adventu Messiæ spirituali in corda nostra per Sacramenta ℣. 6. de testimonio Spiritus S. interno, quod spiritus sit veritas ℣. 6. Singula hæc momenta deposcunt nostrum de tribus in cœlo testibus oraculum, ut proinde ejus antecedentia diligentissimam mereantur attentionem. Regeneratio non aliunde quam à Deo est repetenda ℣. 1. & 4. Effectus ejus formalis est fides in Christum ℣. 1. Hæc fides fulcro opus habet, quo solidius non datur, quam testimonium cœleste Patris, Filii & Spiritus S. Præcepta Dei regenitis non esse gravia, adstruit Apostolus ex victoria mundi, v. 4. & hanc ex fide, opere non humano, sed oppido divino, Joh. VI. 29. Hujus fidei objectum est Jesus Filius Dei ℣. 5. media vero Sacramenta & verbum evangelii ℣. 6. Cui usui hæc tanta erunt sine fundamento fidei, quæ nititur testimonio trium testium infallibilium in cœlo, Patris, Filii & Spiritus Sancti? Tolle hoc fundamentum fidei, tunc non amplius fides erit ὑπόστασις. Si actum est de fide, etiam actum erit de observatione præceptorum divinorum, quæ non tantum reddentur gravia, sed plane impossibilia. Fidei effectus est victoria mundi, quo præstantior vix datur. Unde fides sufficientissimas nanciscitur vires, ad opus tantum producendum? Non aliunde, quam quia suffulcitur authoritate trium testium in cœlo, qui majores sunt mundo. Adventus Domini spiritualis per baptismum & S. cœnam est character Messiæ, & beneficium, quod elogium humanum omne, quin & angelicum, superat. Utriusque certitudo stabilienda erat,

ut nulli exceptioni locus relinqueretur. Quo modo? Eo, qui omnium maxime eſt irrefragabilis. Quis eſt ille? Teſtimonium trium in Deitate perſonarum. Tandem, quale punctum ferat teſtimonium Spiritus S. internum, quo veritas religionis chriſtianæ in cordibus fidelium confirmatur & obſignatur, norunt omnes, qui ex propria experientia juſtum ejus pretium ſtatuere didicerunt. Unius tamen Spiritus S. teſtimonium in negotio fidei maximè arduo admittere debere, nimium videri poſſet, quod ab infirmis requiratur hominibus, cum ipſe Deus voluerit, ut omnis veritas non ex 19) unius tantum, ſed trium teſtium ſermone confirmaretur. Hinc Apoſtolus probaturus, ſpiritum eſſe veritatem, non potuit ſubſiſtere in teſtimonio ſolius Spiritus S. ſed verbo divino conformiter teſtes plures, & determinatè quidem tres teſtes divinos producere, eosque indicare debuit per particulam verſus noſtri initialem ὅτι, quæ cauſalis eſt, ſcribendo: ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, κ. τ. λ. Tam concinna eſt connexio inter comma noſtrum controverſum & cætera, quæ præcedunt omnia, inde à principio hujus capitis.

§. VI.

Sed & conſequentia clamant, dictum noſtrum eſſe authenticum. Quid enim ſibi vult particula copulativa καὶ, quæ ſub principium commatis octavi legitur, & teſtes in terra cum aliis teſtibus conjungit, quorum in præcedentibus debuit eſſe injecta mentio? Quid ſibi vult numerus teſtium ternarius eodem commate expreſſus, niſi idem numerus teſtium ternarius, & eadem quidem forma grammatica præſtructus eſſe cenſeatur? Quid ſibi volunt teſtes tres determinati in terra, ſi non ſtatuantur totidem teſtes determinati in cœlo? Sic comma octavum ſolide docet, comma ſeptimum eſſe genuinum. Idem pronunciandum eſt de commate nono, in quo Apoſtolus argumentum ducit à minori ad majus, ab acceptione teſtimonii humani ad acceptionem teſtimonii divini. Quale autem teſtimonium divinum, abſtrahendo a verſu ſeptimo, eruas ex verſibus præcedentibus capitis quinti? Præfiſcini dixerim, inſufficiens, imo pro ſcopo Johannis planè nullum. Nec opus fuiſſet, ut ANONYMUS 20) recentior de adinvento hoc abs ſe novo pro authoritate dicti Johannei canonica argumento gloriaretur, quo profecto ante ipſum 21) plures

19) Num. XXXV. 30. Deut. XIX. 15. Matth. XVIII. 16. Joh. VIII. 17. 2. Cor. XIII. 1. Ebr. X. 28.

20) Vide die Hamburgiſche berichte von gelehrten ſachen, auf das jahr 1739. No. XXXVIII. p. 321. ſeqq.

21) SCHERZERUS in Colleg. Anti-Socin. p. 162. WALTHERUS in Harmonia Biblica

res jam sunt usi. Et cum idem testimonium divinum ℣. 10. & 11. reassumatur à Johanne, quis non manibus palpaverit, eum respexisse ad testes cœlestes, quorum mentionem versu septimo fecerat.

§. VII.

Accedit, quod Johannes in scriptis suis canonicis eadem vocabula, quin & integras phrases adhibeat, quæ occurrunt in nostro dicto, ut tuto colligi possit, eum quoque locum de tribus in cœlo testibus exarasse. Prima Deitatis persona ipsi est ὁ πατὴρ in Evangelio c. III. 35. V. 17. 20. 21. 22. 26. 36. VI. 27. 32. 37. 44. VIII. 28. 29. 54. X. 15. 17. 29. 30. 36. 38. XII. 50. XIII. 3. XIV. 10. 11. 13. 23. 26. 28. 31. XV. 1. 8. 9. XVI. 15. 32. XVIII. 11. XX. 21. 1. Epist. c. IV. 14. Secunda Deitatis persona ab eo appellatur ὁ λόγος Evang. c. I. 1. 14. 1. Epist. I. 1. Apoc. XIX. 13. Tertia dicitur πνεῦμα in Evang. c. I. 32. 33. III. 5. 34. XIV. 17. XV. 26. XVI. 13. 1. Epist. c. III. 24. IV. 13. V. 6. Apoc. II. 7. 11. 17. 29. III. 6. 13. 22. Testes divinos plures reperimus Joh. III. 11. Patrem Joh. V. 37. Filium Joh. III. 32. VIII. 14. Apoc. I. 5. Spiritum Joh. XV. 26. Patrem & Filium simul Jo. VIII. 18. πνεῦμα ἅγιον occurrit Jo. I. 33. XIV. 26. XX. 22. Qui tres sunt cœlestes Joh. XII. 28. III. 13. I. 32. Pater denique & Filius dicuntur esse unum Jo. X. 30.

§. VIII.

Ponamus tantisper, spurium esse comma, quod præ manibus habemus, septimum. Quid fiet cum oratione Apostolica? Testes præcipui omittentur, & fundamentum fidei sufficiens tolletur, quod in ipso Deo triuno, tanquam auctore fidei & mediorum gratiæ poni debet. Tædiosa porro, ne quid gravius dicam, eorundem testium in terra repetitio occurret, si comma sextum & octavum immediatè secum invicem jungas, quam repetitionem tavtologicam Spiritu S. dignam esse, nemo facile pronunciaverit. Omnis præterea evanescit subordinatio inter testes ἐν τῷ οὐρανῷ & ἐν τῇ γῇ, si illos ex textu sacro elimines. Quid indicabunt verba relativa ℣. 8. εἰς τὸ ἕν, nisi legas ἓν in versu septimo, extra quem nullum aliud ἓν in toto capite, imò in tota epistola deprehenditur?

fol. 848. Gerhardus in Commentat. uberiore ad h. l. p. 59. S. Schmidius in Commentar. in primam Johannis Epistolam p. 481. sq. Grapius in Theol. recens controversa P. I. p. 187. Moshemius in diss. de SS. Trinitate, Paulo Matyo opposita p. 98. Raithius in Remonstrantismo p. 13. Witsius Miscell. S. T. II. p. 111. Tossanus in Comment. ad N. T. fol. 353. B. Avus Prælect. Acad. in N. T. P. II. p. 570. & in Augustissimo Trinitatis Mysterio p. 153.

tur? Qualis tandem erit 22) conclusio, ab acceptione testimonii humani ad acceptionem testimonii divini ℣. 9. si tres testes divinos in cœlo à textu Johannis excluseris? Tot & tanta oriuntur absurda, si dictum nostrum supposititium esse dixeris.

§. IX.

Sed analogia quoque fidei scripturaria mysterium Trinitatis, in loco nostro assertum, plenissimè comprobat. Si nobis liceret esse prolixioribus, excutienda essent dicta 23) Gen. I. 1. 2. 3. 24) XVIII. 1. 2. 25) XLVIII. 15. 16. 26) Exod. III. 2. seqq. coll. Exod. XXIII. 20 seqq. & Jes. LXIII. 10. 27) Num. VI. 24. seqq. 28) 2. Sam. XXIII. 2. 3. 29) Psalm. XXXIII. 6. 30) XLV. 8. 31) LXVII. 7. 8. 32) Jes. VI. 3. sqq. coll. Joh. XII. 37. seqq. & Act. XXVIII. 25. sqq. 33) Jes. XXXIII. 22. 34) XLVIII. 16. 35) LXI. 1. 36) LXIII.

22) Damus heic verba ANONYMI §. VI. citati: Es will der Apostel sagen: müsset ihr die Zeugen auf Erden für gültig annehmen, wie vielmehr die dreyeinige Gottheit, die als die wesentliche wahrheit jenen billig vorzuziehen ist? Wæren nun die worte des siebenden verses Johanni nicht eigen, wie hætte er solcher gestalt schliessen koennen? Hætte er nicht auf solche weise in der Conclusion ein mehrers gefolgert, als er in den Præmissis angegeben hatte? Ist nun Johannes der wahre verfasser der Conclusion, wie niemand je geleugnet hat, oder leugnen kan: so folget, dass auch die Vordersæze ihm zuzuschreiben sind, widrigenfalls hætte er solcher gestalt nicht schliessen koennen.

23) Conf. SEB. SCHMIDII Colleg. Bibl. Prius p. 117. seqq.

24) Vide WITSII Oecon. Fœd. p. 589. sq.

25) Adde Canc. MÜLLERI Evolut. S. p. 30. BUDDEI Histor. Eccles. V. T. P. I. p. 340. DEYLINGII Observ. S. P. II. p. 99.

26) Vid. TURRETINI Instit. Theol. Elencht. P. I. p. 303.

27) Vid. QUENSTEDII Systema Theol. P. I. f. 323. sq.

28) Conf. POLI Synopsin. Critic. Vol. I. f. 1512.

29) Vid. PFEIFFERI Dubia Vexata p. 586. sq.

30) Conf. ARNDTIUM ad h. l. f. 403.

31) Adde SCHMUCKERI wahren Christen P. II. p. 742. sq.

32) Conf. B. OSIANDRI Colleg. System. P. I. p. 365.

33) Vid. HAFENREFFERI Locos Theolog. p. 62.

34) Conf. SCHERZERI Systema Theol. p. 61.

35) Vid. L. OSIANDRI Comment. Bibl. P. II. f. 125.

36) LXIII.7. seqq. 37) Hagg. II. 5. 6. 38) Zach. II. 9. seqq. Sed cum brevitas nobis fuerit commendata, provocamus ex solo N. T. ad 39) Matth. III. 16. 17. 40) Matth. XXVIII. 19. 41) Joh. XIV. 16. 17. 26. 42) XV. 26. 43) XVI. 13. 14. 15. 44) Rom. VIII. 11. 45) 2. Cor. XIII. 13. 46)

36) Legatur VITRINGA in Comment. in Jes. P. II. f. 858. seq.

37) Evolvi potest MARCKII Commentar. in Prophetas minores f. 838. sqq.

38) Vid. J. A. OSIANDRI Theol. Posit. Acroam. P. II. p. 57.

39) Patris vox e cœlo auditur; Filius baptizatur, & Spiritus S. in specie columbæ descendit. Eandem historiam reliqui tres Evangelistæ confirmant; & Marcus quidem C. I. 9. 10. 11. Lucas C. III. 21. 22. Johannes C. I. 32. 33. Adde CHEMNITII Harmon. Evang. f. 177.

40) Observamus heic ordinem personarum divinarum plane eundem, qui legitur in nostro textu. Baptismus enim administrandus est in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. Prostat REINHARDI Diss. qua probatur: Etiamsi dictasset nunquam Spiritus S. certissimam illam Canonis Græci particulam 1. Joh. V. 7. tamen eandem concludendi vim contineri jam in illustrissimo commate Matth. XXVIII. 19.

41) Filius rogat; Pater rogatur; Spiritus veritatis mansio perpetua promittitur. Vide LAMPIUM ad h. l. p. 145. sqq. Si legas versum 26. invenies Patrem, qui mittit Spiritum S. Invenies porro Filium, in cujus nomine paracletus mittitur; invenies Spiritum S. ejusque officia, qui à Patre in nomine Christi mittitur. Conf. TARNOVII Commentar. in Johannem p. 1041.

42) Sistitur in hoc dicto Pater, à quo Spiritus S. procedit; sistitur Filius, qui Spiritum à Patre mittit; sistitur Spiritus consolator, qui à Patre procedit, & de Christo testatur. Conf. NIFANII Comment. in Johannem p. 863.

43) In hoc textu expressa fit mentio Patris; Filius loquitur; Spiritus S. introducitur, ut Spiritus veritatis; ut Doctor; ut ille, qui Christum sit glorificaturus. Vide LAMPIUM l. c. p. 324.

44) Paulus loquitur de Patre, qui Filium ex mortuis resuscitavit; loquitur expresse de Jesu Christo; loquitur de Spiritu, cujus inhabitatio causa est, ut aliquando fideles resuscitentur ex mortuis. Vide & TOSSANI Commentar. in N. T. f. 203.

45) Memoratur à Paulo gratia Jesu Christi, & dilectio Dei Patris, ut quædam habent exemplaria manuscripta, & communio Spiritus S. Episcopium putasse, optimum ex his verbis pro Trinitate desumi argumentum, testis est SCHERZERUS in System. Theol. p. 63.

46) Etiam hoc in loco mentio fit Dei, qui habet Filium; Filii, cujus Spiritus est tertia Deitatis persona; Spiritus, qui Filii esse dicitur. Conf. RAMBACHII Erklærung der Epistel an die Galater, p. 217.

Gal. IV. 6. 47) Eph. I. 17. 48) 1. Pet. I. 2. 49) 1. Joh III. 23. 24. 50) Apoc. I. 4. 5. 6. 51) IV. 8. Laudantur præterea 52) Matth. XVII. 1. sqq. 53) Rom. I. 4. 54) XI. 36. 55) 1. Cor. XII. 4. 5. 6. De unitate autem es-

sen-

47) Quis non videt, heic occurrere Patrem gloriæ, & Dominum nostrum Jesum Christum, & Spiritum sapientiæ atque revelationis? Conf. L. OSIANDRI Comment. Bibl. P. III. f. 606.

48) Recenset Petrus præscientiam Dei Patris, & adspersionem sanguinis Jesu Christi, & sanctificationem Spiritus. Adde J. GERHARDI Comment. in I. Ep. Petri p. 39. & JOACH. LANGII Exegesin Epistol. Petri p. 31.

49) Sermo est non tantum de prima Deitatis persona, quæ filium habet Jesum Christum, sed & de Spiritu, quem fidelibus largitur. Vid. SPENERI Comment. in I. Epist. Johannis p. 304.

50) Utimur verbis S. R. D. D. WEISMANNI: "Apprecatio gratiæ & pacis ab eo, qui est, qui erat, & qui futurus est, & à septem spiritibus, & à Jesu Christo, procul dubio eundem sensum habet, quem præ se fert votum Pauli 2. Cor. XIII. 13. Neque magis turbat ordinem hujus mysterii Spirituum septem ante Christum Dominum mentio, quam commemoratio Domini ante Patrem apud Paulum Apostolum. Gratiæ autem & pacis fons & origo Deus est. Et constat alias quoque de Christo ut homine, tam excelsa dici non posse, nisi simul divina cum eo conjuncta esset natura. A Sancto quoque Spiritu gratia & pax dispensatur; ubi numerus septenarius non naturam & essentiam, sed mysterium hujus numeri in donis multiplicibus aliisque ad œconomiam Spiritus in Ecclesia Dei pertinentibus significat. Zach. IV. 10. Apoc. IV. 5. V. 6." Diss. de Apocalypseos excellenti doctrina fidei & morum p. 10. 11.

51) Qui oraculum Jes. VI. 3. de Trinitate accipit, non potest non trinam repetitionem de Deo sancto, quam Johannes heic commemorat, pro parallela habere. Conf. SCHEURMANNUM in Apocalypsin P. I. p. 302.

52) Fecit id BUCANUS, qui Instit. Theol. p. 7. scripsit: "in transfiguratione stat Filius, auditur Patris vox de cœlo, & nube obumbratur Christus, quæ Spiritum S. designat."

53) Laudatur à Paulo Deus, qui habet Filium Jesum Christum, & præter hunc allegatur Spiritus sanctitatis, qui Luthero & Brentio & Varenio Spiritus S. est, in Apostolos effusus & fidelibus donatus. Sed aliis is est divina Christi natura, & nominatim quidem D. FOERTSCHIO, in Diss. ad h. l. p. 35. & HEDINGERO in Glossa ad h. l. qui accitat 1. Pet. III. 18. Ebr. IX. 14. & H. B. STARKIO in Notis selectis in Epist. ad Ebræos p. 109. qui consentientes adducit Wellerum, Calovium, S. Schmidium, Mommam, Cameronem, Pareum, Wittichium, alios.

54) Ex hoc dicto Trinitatem probari in Ecclesia Orientali, patet ex orthodoxa ejus Confessione, quam edidit NORMANNUS p. 24. Conf. B. GRAMMLICHII Erbauliche Betrachtungen auf alle Tage des ganzen Jahrs P. I. p. 404. seqq.

55) Etiam heic SS. Trinitatem inveniri, asseruit SPENERUS im Thætigen

sentiæ divinæ dicere, heic nihil fere attinet, cum dicta biblica supra jam dederimus nota 12. Queis addi possunt Deut. IV. 35. Jes. XLIV. 6. 8. XLV. 5. 6. Gal. III. 20.

§. X.

Fracta sic glacie, pergendum est ad argumenta externa, quæ evincunt, germanam esse lectionem, quam tuemur. Referunt enim eam Codices Græci manuscripti; sistunt illam Versiones Novi Testamenti; provocant ad eam Patres antiquissimi; habetur illa in libris Græcorum & Latinorum ecclesiasticis; comparet eadem in Codicibus Græcis impressis; imo & ex ipso empæctarum numero fuit, qui eam suo suffragio confirmavit.

§. XI.

Ex Codicibus Græcis manuscriptis non possumus non cum 56) MILLIO, & 57) TWELLSIO, & 58) BUDDEO, & 59) WOLLIO laudare Codicem Britannicum, cujus auctoritate adductus Erasmus, dictum Johannis de tribus in cœlo testibus editioni suæ tertiæ N.T. inseruit, atque sic lacunam, quæ in binis prioribus editionibus in ordine ad hunc locum obtinuerat, felicissimè explevit. Laudamus cum eodem MILLIO septem codices Stephanicos, δ. ε. ζ. θ. ι. ια. ιγ. in quibus hæc pericope habetur, & quos ipsa vetustatis specie pene adorandos esse pronunciavit ROBERTUS 60) STEPHANUS. Non dicemus 61) de Codicibus Hieronymi,

Christenthum P. II. p. 154. sq. BUDDEUS in Instit. Theol. Dogmat. p. 275.

56) N. T. G. f. 581.   57) Vid. WOLFIUS Cur. Phil. & Crit. ad h. l. p. 302.

58) l. c. p. 280. Addi possunt WITSIUS Misc. S. T. II. p. 111. EXERCIT. THUMMIANÆ p. 30. WALTHERUS in Harmonia Bibl. f. 846.

59) Comment. Philol. de Parenthesi sacra p. 111.

60) Conf. GOMARUM Opp. Theol. T. I. f. 735.

61) Cum judicio heic procedendum est, ne optima causa pessime defendatur. Nam Hieronymum auctorem esse Prologi in septem epistolas canonicas, qui sub ipsius nomine circumfertur, nondum omni ex parte est expeditum; proinde & argumentum ab authoritate Codicum, qui teste auctore prologi, nostrum dictum referunt, nondum omni exceptione est majus. Verba prologi huc spectantia ita habent: "Sicut Evangelistas dudum ad veritatis lineam correximus, ita has (epistolas canonicas) proprio ordini, Deo nos juvante, reddidimus. Est enim prima earum, una Jacobi, Petri duæ, Johannis tres, & Judæ una. Quæ si sicut ab eis (Græcis) digestæ sunt, ita quoque ab Interpretibus fideliter in Latinum eloquium verterentur, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret, illo præcipue loco, ubi de Unitate Trinitatis in prima Johannis Epistola positum legimus, in qua etiam ab infideli-

mi; non de Codice 62) Berolinensi; non de 63) Dubliniensi, antea Montfortensi, qui dictum controversum habent, quia hoc testimonio opus non habemus. Unde autem usus ejus satis vetustus in Ecclesia Græca erit repetendus? Unde Patres ecclesiæ antiquissimi illud citarunt? Unde

bus translatoribus multum erratum esse à fidei veritate comperimus; tria tantummodo vocabula, hoc est, aquæ, sanguinis, & spiritus, in ipsa sua editione ponentibus, & Patris Verbique ac Spiritus testimonium omittentibus, in quo maximè & fides catholica roboratur, & Patris ac Filii ac Spiritus Sancti una Divinitatis substantia comprobatur.,, Licet enim, sunt verba MILLII, in Prologi dictione sit Spiritus quid Hieronymiano non absimile; etiam & in argumento nonnihil Hieronymo non indignum: Quale est 1. Sicut Evangelia, sic etiam Epistolas se ad veritatis lineam correxisse, seu ad Græcorum, qui penes eum erant, Codicum fidem recensuisse. 2. Apud Græcos Epistolam Jacobi reliquas Catholicas ordine anteire. 3. In Latinis Libris Petri Epistolis primum locum datum inter Catholicas. 4. Epistolas istas in hunc, quem observarunt Græci, ordinem se primum omnium revocasse. Reliqua tamen adeo ab omni veritatis specie aliena sunt, ut cujusvis potius esse videantur, quam eruditissimi istius Patris. 1. Quale enim hoc, quod de Græcorum integre sapientium & rectam fidem sectantium libris dicitur, eos versum hunc septimum exhibuisse. Norunt omnes, quibus inspecta veterum monumenta, maximè Hieronymus, qui veterum omnia devorarat, multa & in Latinum verterat, ex Scriptoribus Græciæ neminem unum jam ab omni Christianismi ævo ad illius tempora pericopen hanc citasse. 2. Neque minus ab omni veri specie abhorret, quod de interpretibus Latinis affirmatur; expunctum scilicet fuisse ab iis hunc versiculum, ex hæretica nescio qua pravitate. 3. Nec minus falsum, quod hic de Hieronymo dicitur, eum primum in Editione sua hunc versum septimum reposuisse. Si enim restituerit Hieronymus, unde factum, ut in Bibliis ejus pervetustis versiculus iste non legatur? Imo vero, cur nunquam citat illum Hieronymus in operibns suis, ubi illi res est cum Arianis, aliisque istiusmodi hæreticis? Mirum hoc plane, cum in Epistolis librisque polemicis ad catholicam de mysterio S. Trinitatis doctrinam firmandam adducat passim alia sacri codicis loca; eum ne uno aliquo loco proferre hoc testimonium Joannis, quod ex Græcis ipse restituerat scilicet, & in quo maximè & fides catholica roboratur, & Patris ac Filii ac Spiritus S. una Divinitatis substantia comprobatur.

62) Hunc produxit MOSHEMIUS in diss. de tribus in terra testibus p. 4. & WOLLIUS l. c.

63) Hujus authoritatem laudavit JO. FRID. WUCHERER in Vindiciis æternæ Divinitatis J. C. p. 45.

Unde id accepit Versio Latina antiquissima? Unde irrisor religionis christianæ, idemque Græcus, ante finem seculi secundi occasionem nactus est, hoc dictum explodendi? Non aliunde, quam ex Codicibus Græcis manu exaratis, iisdemque ævo Apostolico proximis; de quibus momentis haud ita multo post fœcundior disserendi dabitur occasio.

§. XII.

Præmisso fonte, rivulos allegare par est, in quos testimonium Johannis de Sacro-Sancta Trinitate felicissimo prorsus sidere manavit. Per eos intelligimus Versiones N. T. quæ dictum controversum referunt, &, cæteris paribus, in asserenda genuinitate alicujus loci biblici magno sunt usui. Inter eas merito urgetur versio 64) Latina antiquissima, ex qua in 65) Vulgatam id transiit. Nec minus citari meretur Versio 66) Armenica; imò & ipsos 67) Photinianos vi veritatis adactos, in Versione sua Germanica hoc dictum retinuisse constat. Alias versiones dare supersedemus, ne actum post viros eruditos agere videamur. Præterea, non tam recentiores desiderantur versiones, quam vetustiores, quas autem magno numero, ob penuriam codicum Græcorum, in quibus dictum nostrum legitur, nemo criticorum suppeditare valuerit. Proinde & hic articulus provide tractari amat, ne per infirmas authoritates arci causæ præjudicium adcrescat.

§. XIII.

Jam quid Patres Ecclesiæ antiquiores ad roborandam dicti nostri avthentiam contulerint, cum 68) delectu perquam necessario expedien-

64) Adde Rusii Introd. in N. T. p. 103.
65) Unde etiam Morinus, & præter eum Harduinus, solam Versionem Vulgatam pro Scriptura S. authentica habuit. Vide & præ omnibus Buddeum l. c. p. 277. sq.
66) Vide Millium ad h. l. f. 581. & Fabricii Bibl. Græc. L. IV. C. V. p. 193.
67) Adde B. Avi nostri augustissimum Trinitatis mysterium p. 153.
68) Hinc mittimus ex seculo II. Hyginum, Episcopum Romanum, cujus Epistola decretalis posteriorum temporum fœtus est. Adde Spanhemii Introd. ad Hist. Eccl. N. T. p. 264. L. Osiandri Centur. II. Hist. Eccl. p. 37. Scilicet stylus authoris componi nescit cum stylo scriptorum seculi secundi, omnium minimè cum stylo Episcopi Romani, cui puritas Latinæ linguæ fuit commendata. Accedit, scriptores antiquiores & curiosiores nullam hujus Epistolæ mentionem injecisse, quando res gestas Episcoporum Romanorum enarrarunt. Ipsa denique epistolæ contenta ejus novitatem loquuntur, quippe quæ agunt de primatu Romanæ Ecclesiæ, de immunitate Episcoporum & cognatis. Mittimus etiam ex Seculo IV. Athanasium, eo quod & ratio temporum, & mo-

diendum esse videtur. Maximè vero heic opportunus est ex seculo II. consensus 69) TERTULLIANI; ex seculo III. consensus 70) CYPRIANI; ex seculo IV. consensus 71) PHOEBADII; ex seculo V. consensus 72) EUCHERII

dus scribendi alium authorem testimoniorum hac in causa prolatorum deposcunt. Video tamen, calculum Athanasii laudare GERHARDUM in Diss. ad h. l. p. 31. sqq. SCHERZERUM in Coll. Anti-Socin. p. 161. System. Theol. p. 63. SPENERUM in Comment. ad I. Epist. Joh. p. 515. MAJUM in Repetito Examine Histor. Crit. Textus N.T. R. Simonii p. 233. sq.

69) Libro contra Praxeam, c. XXV. ait: "Cæterum de meo sumet (Paracletus) sicut ipse de Patris: ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero. QUI TRES UNUM SUNT, non unus.„ Quod testimonium maximi faciendum esse ex eo patet, quia Tertulliano puritas Codicum N.T. fuit commendatissima, ut L. de Præscript. c. XXXVI. scripserit: " Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ avthenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem unius cujusque. Vid. FRICKIUS de cura ecclesiæ veteris circa canonem Scripturæ p. 123. Refert etiam Pamelius in vita Tertulliani, eum non tam Latinis translatis, quam Græcis Codicibus veteribus usum esse, auctorem Græcè doctissimum maluisse ex fontibus bibere, quam lacunis. Conf. WHITBY in Examine variantium Lectionum Jo. Millii p. 81.

70) Is in L. de simplicitate prælatorum, sive de unitate Ecclesiæ inquit: "De Patre, Filio & Spiritu S. scriptum est: ET HI TRES UNUM SUNT.„ Idem in Epistola 73 ad Jubajanum ait: "Cum TRES UNUM SINT, quomodo Spiritus S. placatus esse ei potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est? Vid. WUCHERER l. c. GRAPIUS in Theol. rec. controversa P. I. p. 188. MILLIUS in Proleg. ad N.T. §. 713. Quod testimonium æquè ac præcedens Tertulliani quantivis est pretii, quia, fatente ipsomet Rich. Simonio dissentiente, Cyprianus locos S. Scripturæ non ex publica aliqua versione depromsit, sed potestatem adeundi fontes sibi permisit. Vid. WHITBY l. c.

71) Verba auctoris excerpta dedit Dn. BENGELIUS in Apparatu Critico p. 753. quæ hæc sunt: "Dominus, Petam inquit, à Patre meo, & alium Advocatum dabit vobis. Sic alius à Filio Spiritus, sicut alius à Patre Filius. Sic tertia in Spiritu, ut in Filio secunda persona: unus tamen Deus omnia, QUIA TRES UNUM SUNT.„

72) Hic in Formulis spiritualis intelligentiæ comma nostrum septimum ita effert: Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S. Vide MILLII Proleg. in N.T. §. 938. WOLFII Curas ad h. l. p. 305.

EUCHERII LUGDUNENSIS, VICTORIS 73) VITENSIS, VIGILII 74) TAPSENSIS; ex ſeculo VI. conſenſus FULGENTII 75) RUSPENSIS, 76) JOHANNIS II. 77) FACUNDI, 78) CASSIODORII; ex ſeculo VII. conſenſus 79) MAXIMI, ſcriptoris Græci. Sequiorum authorum eccleſiaſticorum ſuffragia cumulare, neque eſt neceſſarium, neque inſtituto præſenti conveniens.

§. XIV.

Rebus ſic ſtantibus facili opera factum eſt, ut dictum noſtrum in libris eccleſiaſticis tam Græcorum, quam Latinorum inde à magno tempore legeretur. Fidem dictorum facit Lectionarium Eccleſiæ Græcæ, quod 80) Ἀπόστολος vocatur, & inter monumenta ſeculi quinti à TWELLSIO 81) refertur, in quo locus Johannis reperitur. Ei addimus

73) Loquatur inſtar omnium MILLIUS, qui ad h.l. f.583. ait: "Victor Vitenſis, lib. 3. de perſecutione Vandalica, ubi Confeſſio fidei, Hunnerico Vandalorum Regi anno 484to oblata ab Eugenio Epiſcopo Carthaginenſi, aliiſque orthodoxis Epiſcopis Eccleſiæ Africanæ; in qua habentur iſta: "Et ut adhuc luce clarius unius Divinitatis eſſe cum Patre & Filio Spiritum S. doceamus, Joannis Evangeliſtæ teſtimonio comprobatur: ait namque, TRES SUNT, QUI TESTIMONIUM PERHIBENT IN COELO, PATER, VERBUM, ET SPIRITUS SANCTUS; ET HI TRES UNUM SUNT. Nunquid ait, tres in differenti qualitate ſejuncti, aut quibuslibet diverſitatum gradibus longo ſeparationis intervallo diviſi? Sed TRES, inquit, UNUM SUNT.,, Hæc eſt ſententia totius Eccleſiæ Africanæ, Regis juſſu prolata. Neque fieri quidem poteſt, ut Textum hunc citaverint, ſi aut non exſtitiſſet in Epiſtola, aut etiam pro inſititio haberetur; cum Arianis, qui aderant, fraus iſta facilè patuiſſet.

74) Trinam dicti noſtri repetitionem ex Vigilio Tapſenſi ſubminiſtravit THOMAS SMITH in Vindiciis 1. Epiſt. S. Joh. c. V. 7. apud Majum l. c. Append. II. p. 50.

75) Fidem ſufficientem de conſenſu Fulgentii fecerunt SMITH l.c. p. 43. 56. 57. MAJUS l. c. p. 232. WITSIUS Miſcell. S. T. II. p. 111.

76) Vide GERHARDUM l.c. p. 36. qui verba Johannis II. Epiſcopi Romani ex Tomis Conciliorum dedit.

77) Adde ZORNII Lutherum Catholicum p. 13.

78) Conf. WOLFII Curas ad h.l. p. 297. 306. 309.

79) Vide eundem WOLFII librum p. 302. 313. & FABRICII Bibl. Græc. Volum. Octav. p. 728. ſeqq.

80) Vid. ALLATII Diſs. I. de libris Eccleſiaſticis Græcorum p. 34. & CAVEI Diſs. de libris & officiis Eccleſiaſticis Græcorum, quæ ſubjuncta eſt Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoriæ Literariæ f. 181.

81) Vid. WOLFII Curas ad h.l. p. 302. Twellſium ex Caveo l.c. ſupplemus, quod

mus Orthodoxam Confessionem Ecclesiæ Orientalis p. 25. Minor dubitandi caussa deprehenditur in ordine 82) ad Latinos, quorum Versio antiqua, Vulgata, & Scriptores jam allati lectioni nostræ plurimum patrocinantur. Quo scopo laudatus modo TWELLSIUS 83) scripsit: "Ordo Romanus lectionem verborum 1.Joh.V.7. inter Octavam Paschatos & Dominicam in Albis fieri jubet, quod ex Durando, Scriptore Seculi XIV. in Rationali divinorum officiorum discimus, testante, locum hunc Ordini Romano convenienter lectum fuisse.„

§. XV.

Nec silentio involvi possunt Editiones Novi Testamenti Græci, quæ exornatæ sunt dicto Johannis classico de tribus in cœlo testibus. Hoc fine provocat 84) TWELLSIUS ad editionem Complutensem, Erasmi tertiam, Roberti Stephani primam & tertiam; MILLIUS 85) ad Frobenianam & Hervagianam; ZORNIUS 86) ad editionem Bezæ, & eam, quæ apud Plantinum prodiit; 87) THUMMIUS & 88) GERHARDUS, ad editionem Ariæ Montani, Eliæ Hutteri, hæredum Andreæ Wechelii; B. 89) AVUS ad editionem Curcellæi. Sed etiam in hoc aphorismo entia non debent multiplicari præter necessitatem.

§. XVI.

Porrò, cum veritas etiam in hoste sit laudanda, non possumus non mentionem facere testimonii 90) LUCIANI, quod habetur in Dialogo, qui Philopatris inscribitur, & eruditorum 91) attentionem non semel provocavit. Author dialogi religionem christianam ludibrio expositurus, sistit Christianum, qui ethnicum de mysterio SS. Trinitatis vult convincere. Ethnicus ex Christiano quærit, quem vellet in juramento abs se invocari? Triephon Christianus respondet: Θεὸν μέγαν,

Lectionarium hoc Ecclesiæ Græcæ tempore S. Sabæ jam fuerit in usu, qui seculo V. vixit, teste scriptore coævo, Cyrillo Scythopolitano in Vita ejus.

82) Conf. ZORNIUM l.c. p. 13. qui SELDENUM & SIMONIUM in partes vocat.

83) Apud WOLFIUM l.c. p. 304.

84) l. c. p. 302. 85) l.c. f. 581. 86) l. c. p. 13. 87) Exercit. II. p. 30.

88) l. c. p. 25. 89) Augustiss. Trinit. Myster. p. 153.

90) Vide FABRICII Biblioth. Græc. L.IV. C.XVI. p. 504.

91) WALTHERI Diss. de fidei Nicænæ i.e. articuli de SS. Trinitate antiquitate, veritate & necessitate p. 89. FRICKII l. c. p. 152. SPANHEMII l.c. p. 196. MOSHEMII in modesta inquisitione Matyo opposita p. 115. JANI in Diss. de Trinitate Platonismi verè & falso suspecta p. 82. WUCHERERI l.c. p. 42. qui consentientem BULLUM in Defensione fidei Nicænæ Sect. II. C.IV. accitavit.

γαν, ἄμβροτον, ὀρανίωνα, υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία. Ταῦτα νόμιζε ζῆνα, τὸν δ' ἡγȣ̃ θεόν. Ad hæc Critias ethnicus ait: ὀκ οἶδα, τί λέγεις, ἓν τρία, τρία ἕν. Qui ſine partium ſtudio heic incedit, negare nequit, unitatem eſſentiæ divinæ, & trinitatem perſonarum ſic exagitari, & quidem reſpectu ſatis manifeſto ad dictum Johannis, quo evidentius in hac doctrina non datur. Vixit vero LUCIANUS poſt medium ſeculi ſecundi; fuit is Scriptor Græcus; & licet Syriam pro patria habuerit, ex verſione tamen N.T. Syriaca hanc cognitionem haurire non potuit, quippe in qua dictum noſtrum non legitur; proinde hujus myſterii notitiam literalem accepit ex Codice Græco ſui temporis manuſcripto, & forte ex ipſius Johannis avtographo, quod eo jam tempore inter ſcripta deperdita à nemine, quantum novi, eſt relatum. Eſto etiam tantiſper, Lucianum 92) non eſſe auctorem hujus dialogi, cauſa noſtra adhuc melius defendetur, cum, admiſſa hac opinione, auctor Luciano adhuc antiquior ſtatuatur; cui abuſus avtographi Johannei eo minus erit abjudicandus, quoniam fatentibus FABRICIO, MILLIO, PEARSONIO, van TIL, prima Johannis epiſtola inter annos poſt exhibitum mundo Salvatorem nonageſimum 93) & nonageſimum quartum eſt exarata.

§. XVII.

Licet autem hactenus non ſine omni circumſpectione avthentiam oraculi Johannei adſtruxerimus; eapropter tamen diſſimulare haud poſſumus, ad unum alterumve argumentorum noſtrorum varia exceptionum loco fuiſſe regeſta, ex quibus potiora excutere animus eſt. Et ut à Codice Britannico initium rerum faciamus, Vir doctus ſua de eo cogitata in hoc verborum redegit compendium: "Capitulum hoc verius ſive excerptum erat, quam codex: neque enim in alia ulla N.T. varietate codicem Eraſmus Britannicum citat, qui tamen, ſi exſtitiſſet totus vel ob hanc unam lectionem, planè ſingularem excuſſu digniſſimus fuiſſet: & in Britannia, vel ob hunc ipſum locum, ibi inprimis vexatum, diligentiſſime cuſtoditus eſſet. Atqui eum hodie nullibi in bibliothecis Anglicanis amplius comparere affirmat, ipſe in Britannia peregrinatus, B. Godofr. Hoffmannus in Synopſi Theol. p. 36.„ Præterea accu-

92) Si author dialogi voluit Trajano Imperatori gratulari victoriam contra Perſas reportatam, antiquior is eſſe debuit Luciano, cum Trajanus anno Chriſti CXVII. vitam cum morte jam commutaverit, Luciano demum circa annum Chriſti CLXX. inclareſcente.

93) Conf. RUMPÆI Commentat. Critic. ad Libros N.T. in genere p. 124. ſqq.

ſamur à 94) CLERICO, perperam allegari Tertullianum & Cyprianum, quoniam ille non ad locum noſtrum reſpexerit, ſed ad alium Jo. X. 30. hic vero comma capitis noſtri ſequens octavum de Patre, Filio & Spiritu S. intellexerit.

§. XVIII.

Quod itaque concernit Codicem Britannicum, non putem, de vocabulo litigandum eſſe, an capitulum ſive excerptum, an codex debeat appellari, modo ipſum monumentum ſit avthenticum. Quod ſi vel unicam epiſtolam Johannis primam abſolvit codex, magnæ molis is eſſe non potuit. Simus ergo faciles in terminis, & conveniamus in re ipſa. Si Eraſmus in nulla alia varietate N. T. codicem Britannicum citavit, fecit id ſuo arbitratu, quem exponere noſtri non eſt officii. Potuiſſet etiam per nos totus ille codex, ſive magnus ſive parvus excuti; quod id omiſſum fuit ab hominibus, id oraculo divino nullum præjudicium creare debet. Porro & de cuſtodia ejus in Britannnia rationem reddere tenemur eo minus, quia translatio codicum manuſcriptorum ab uno regno in aliud, ab una regione ad aliam, ut plurimum longinquam, haud eſt inuſitata, ut exemplis codicum Alexandrini & Cantabrigienſis ad oculum patet. Quod etiam hodiè in bibliothecis Anglicanis nullibi compareat, facile conceditur, ſed quod olim ibi haud comparuerit, id exinde non colligitur. Pariter enim, ſed improvidè poſſet aliquis dicere: Codex Alexandrinus nullibi hodie in Bibliothecis Alexandriæ, & Codex Cantabrigienſis nullibi in Bibliothecis Gallicanis hodie comparet, ergo olim ibi non comparuerunt. Denique B. HOFFMANNUS in Synopſi Theol. p. 36. nota y. plus non concedit, quam quod ipſi jam conceſſimus, nimirum, Codicem Britannicum nullibi hodie in Bibliothecis Anglicanis comparere. Idem tamen dicti noſtri auctoritatem canonicam in Editione II. Synopſeos Theologiæ purioris dogmaticæ p. 164. ex Codice hoc Eraſmi Britannico cum THUMMIO, OSIANDRO, GERHARDO, TURRETINO & KETTNERO probat. Quod attinet ad Tertullianum, verum eſt, eum in animo & calamo habuiſſe Joh. X. 30. Sed & illud certiſſimum manere debet, eum prius ad locum noſtrum reſpexiſſe. Dabimus verba Tertulliani ab ipſo Clerico excitata: Connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, alterum ex altero; qui tres unum ſunt, non unus, quomodo dictum eſt: ego & pater unum ſumus; ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem. „ Valeat ergo illud decantatiſſimum: Unius poſitio non eſt alterius excluſio.

94) Vide Animadv. ad Hammondum T. II. f. 417. Artem Critic. P. III. S. I. C. XV. p. 239. ſq. C. XVII. p. 296.

clusio. Idem judicium ferendum est de testimonio Cypriani, quippe qui verba Christi: ego & Pater unum sumus, præponit, sed præterea subjungit: "Et iterum de Patre, Filio, & Spiritu S. scriptum est: Et hi tres unum sunt.,, Si respexisset ad ℣. 8. dixisset: & hi tres in unum sunt. Ut taceam, macilentissimam esse probationem, quæ pro SS. Trinitate ex ℣. 8. petitur, & Cypriano longè indignissimam. Ea quippe admissa Spiritus erit Pater; Aqua Spiritus Sanctus; Sanguis Filius.

§. XIX.

Si altera nunc etiam pars, uti par est, audienda sit, patebit, eam nec parcè, nec ineruditè causam suam dicere, sed varii generis objectionibus speciosis γνησιότητα dicti nostri impugnare. Non repetemus omnia, sed selectiora duntaxat dubia, vel & eapropter, quia Socinianos dudum refutaverunt scriptores nostri polemici, & recentioribus adversariis, RICHARDO puta SIMONIO satisfecerunt 95) SMITHUS & 96) MAJUS pater; GUILIELMO autem WHISTONO J. F. 97) WUCHERER. Quin nec sine censura EMLYNUM dimissum 98) esse à WOLLIO & MARTINO, inter eruditos constat.

§. XX.

Quemadmodum autem argumentis internis & externis genuinitatem dicti nostri adstruximus; ita & dissentientes utraque hac via incedunt, ut oraculum præstantissimum nobis eripiant. Adgrediuntur enim ipsam verborum Apostolicorum seriem, quæ cum aliis Scripturæ locis componi nesciat; allegant iidem Codices Græcos manuscriptos, plurimos æquè ac excellentes, in quibus dictum nostrum frustra quæsiveris; provocant ad Versiones N. T. in quibus illud haud invenitur; producunt præterea Patres Ecclesiæ veteris, qui altissimo silentio testimonium de tribus in cœlo testibus prætermittunt; qui & subinde pro SS. Trinitate ℣. 6. & 8. citant, omisso clariori, imo clarissimo, & simul verissimo, versu scilicet nostro septimo. Et ut nihil intactum relinquatur, quod causam hanc odiosissimam reddere possit, urgent adversarii Codices Græcos impressos, eosdem-

95) Vide Vindicias dicti nostri jam citatas, queis subjuncta est defensio earum contra Exceptiones Simonii in Critica historia N.T. p. 39. sqq.
96) Vide l. c. p. 217. sqq.
97) Prostant ejus Vindiciæ æternæ Divinitatis Jesu Christi adversus Guil. Whistoni Expositionem fidei duorum primorum à nato Christo seculorum, exercitationibus academicis decem propositæ, in quibus conferri merentur, quæ leguntur p. 31. seqq.
98) De parenthesi sacra p. 101. seqq.

que ſatis antiquos, quos hoc oraculo deſtitutos eſſe, nemo harum rerum gnarus negare ſuſtinuerit.

§. XXI.

Quæ ex ipſo textu depromuntur ab adverſariis tela, hæc ferè ſunt: indignum eſſe ſummo Deo, eſſe teſtem, qui coram nullo judice teſtis eſſe poſſit; in teſtium claſſe non ponendum eſſe λόγον, qui Joh. V. 31. dixerit: Si ego teſtor de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum; in cœlo non opus eſſe teſtibus, ubi omnia clariſſimè cernantur, nec nobis teſtes eos prodeſſe, qui adhuc vivamus in terra. Si teſtes cœleſtes ſint adducendi, Angelos etiam & Eliam eſſe allegandos, qui teſtati ſint, Jeſum eſſe Chriſtum; Johannem ℣. 6. trium teſtium, aquæ, ſanguinis & ſpiritus feciſſe mentionem, quorum proinde officium immediate in ſequentibus verbis, omiſſis tribus in cœlo teſtibus, debuerit enarrare; ſeptimum verſum confundere omnia, quippe qui inducat Spiritum Sanctum tanquam teſtem & in cœlis & in terra, adeoque ſex illos teſtes, de quibus deberet inſtitui ſermo, revera ad quinque eum reducere.

§. XXII.

Si à pluralitate Codicum Græcorum auctoritas dicti noſtri canonica dependeret, cauſa noſtra pridem fuiſſet deperdita. Nam, memorante vel unico Millio, verba controverſa omittunt Codices, Alexandrinus, Vaticanus, Huntingtoni 1. Petavii 1.2.3. Cantabrigiensis 2. Codices in Collegio Novo 1.2. Epistolarum Codex in Collegio Lincolniensi; Codex 1. in Collegio Magdalenæ; Covelii 2.3.4. Sinaiticus; Baroccianus; Barbarini 8. Genevensis; Laudi 2. Rhodiensis; Codices 5. in Bibliotheca Regia Parisiensi; Colbertinus 7. & alii 5. in Bibliotheca Colbertina; duo Basileenses; Venetus unus; Leicestriensis; Cæsareus. Hiſce judicio Dn. Bengelii addi debent Codex Augustanus 6. Uffenbachianus, Seidelianus.

§. XXIII.

Proinde mirum videri non debet, quando Verſiones N.T. hoc commate deſtitutæ à diſſentientibus producuntur. In earum numerum referri video Syriacam, Copticam, Arabicam, Æthiopicam, imo & Verſionem Germanicam ipſius Lutheri. Prono hinc fluit alveo, tacentibus Græcis Codicibus manuſcriptis, tacentibus Verſionibus, interque eas antiquioribus, Patres quoque Eccleſiæ, Græcos & Latinos, hoc dictum omiſiſſe, tam in Concilio Nicæno & Sardicenſi, quam alibi; quo fine Irenæus, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Epiphanius, Basilius M. Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Hilarius, Hieronymus & Augustinus accitantur. Crecit ſuſpicio de interpolatione verborum Johannis, quando nonnulli Veterum

rum pro SS. Trinitate laudarunt capitis nostri comma sextum & octavum, neglecto septimo, in quo tamen veluti in medio virtus probandi consistebat. Ita perhibentur fecisse DIONYSIUS ALEXANDRINUS, GREGORIUS NAZIANZENUS, AMRROSIUS, CYRILLUS ALEXANDRINUS, FACUNDUS HERMIANENSIS, AUGUSTINUS. Si denique animum adplicuerimus ad Codices Græcos typis excusos, certe & ex illis afferri possunt editiones Novi Testamenti Græci haud incelebres: ALDINA, quæ Venetiis prodiit A. 1518. BASILEENSES per Erasmum curatæ, A. 1516. nec non A. 1519. HAGENOENSIS A. 1521. publici juris facta; ARGENTORATENSIS A. 1524. cum orbe erudito communicata; PARISIENSIS A. 1534. publicata. Conf. SELDENUS de Synedriis Vet. Ebræorum L. II. p. 134.

§. XXIV.

Quomodo vero dubiis hisce allatis jam occurrendum sit, id quidem illud est, quod adhuc in præsenti dissertatione nobis expediendum restat. Hallucinatur SANDIUS, indignum esse summo Deo, esse testem; qui nosse debuerat, testari idem esse, quod manifestare veritatem, opus Deo veracissimo longe dignissimum. Confundit porro antagonista forum poli cum foro soli, cui dedecori esse debet, quod eodem loco collocaverit rationem perhibendi testimoni divini & testimonii humani. Præterea, si Deo non indignum fuit, jurare per se ipsum, cum per quenquam majorem jurare non potuerit; eodem pariter non indignum erit, testari de nostra salute per se ipsum, utut coram judice superiore testimonium dare haud queat; quia jurare & testari conveniunt in genere actuum forensium. Prius autem de Deo in terminis legitur Ebr. VI. 13. Posterius ergo, ut de eodem dicamus, perquam opportunum censeri debet.

§. XXV.

Inanis est SOCINI oblocutio, λόγον non ponendum esse in classem testium, propter verba, quæ Servator de se pronunciavit Joh. V. 31. Si ego testor de me ipso, testimonium meum non est verum. Concludit is à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Nimirum Servator loquitur ex hypothesi & opinione Judæorum, existimantium, testimonium suum non esse verum, quia latum sit in propria causa, quod hic per condescensum ad infirmitatem eorum indiscussum relinquit, & ad aliud testimonium proferendum procedit. Alibi vero suum testimonium de se ipso latum, ut omni exceptione majus, authoritate divina defendit, Joh. VIII. 14. 18. Imo & Johannes proprium suum commendat testimonium, nemine eapropter movente litem. C. XIX. 35. XXI. 24.

§. XXVI.

Nugatur idem, dicendo: in cœlo non opus esse testibus, ubi omnia clarissime cernantur. Phraseologia namque Johannis non innuit cœlum

beatorum

beatorum, in quo Deus electis se manifestat; sed testimonium cœleste & divinum, quod inservit fidei viatorum, in contradistinctione ad visionem beatificam justorum consummatorum. De Theologia patriæ in capite nostro cogitare nondum licet, in quo agitur de fide, de regeneratione, de victoria mundi, de usu baptismi & S. cœnæ & evangelii in terra, de acceptione testimonii humani, de incredulitate, de exercitio precum, de peccato non ad mortem & ad mortem, de injustitia, de armatura spirituali, de mundo, qui totus in malo jacet, de vitandis idololatris. Superest ergo Theologia viatorum, cui vel maximè inservit testimonium cœleste triplex, Patris, Verbi, & Spiritus S. Patris quidem, quod evolvi potest Matth. III. 17. coll. Marci I. 11. & Luc. III. 22. Matth. XVII. 5. coll. Marci IX. 7. & Luc. IX. 35. Joh. V. 32. VIII. 18. 54. XII. 28. Filii, de quo agitur Jo. V. 36. VIII. 14. 18. X. 25. Spiritus S. quod occurrit Luc. I. 35. Jo. I. 32. XV. 26. Act. II. 1. seqq.

§. XXVII.

Nulla est SCHLICHTINGII consequentia: Si testes cœlestes sunt adducendi, allegari quoque debent Angeli & Elias, qui testati sunt de Christo. Nam sermo est de testibus cœlestibus, qui sunt personæ divinæ; quarum nec plures, nec pauciores sunt, quam tres; ut proinde numerus testium cœlestium ternarius à Johanne debuerit retineri; quæ causa est, cur de solis testibus cœlestibus principalibus verba fecerit, quibuscum in eadem orationis serie testes cœlestes ministeriales, Angelos & Eliam jungere eo minus potuit, quia præter hos & Moses, & Prophetæ, & Evangelistæ, & Apostoli & Martyres testantur, Jesum esse Christum, qui dudum inter cœlites versantur.

§. XXVIII.

Petit principium VOLKELIUS, officium trium in terra testium ℣. 8. elatum omissis tribus in cœlo testibus, immediatè conjungendum esse cum versu sexto capitis nostri. Si etiam omittas comma septimum, Johannem ab inani unius rei repetitione vix liberabis, ut, quod in transitu monemus, transpositio commatis octavi in locum septimi, & septimi in locum octavi haud satis sit opportuna, aliter sentiente Dn. BENGELIO. 99) Et quid sibi vult particula initialis versus octavi καὶ, in ordine ad testes in terra, si testes in cœlo neglexeris?

§. XXIX.

Abeat WHISTONUS cum imaginaria sua confusione, ac si, quando Spiritus S. inducitur tanquam testis & in cœlis & in terra, sex testes revera ad quinque reducerentur. Nam in versu septimo Spiritus S. dicitur immediate testari de Christo; in versu octavo mediatè per ministerium Evangelii; qui modus testandi oppido diversus est, atque ab omni confusione abhor-

99) Appar. Crit. p. 758. sqq. Gnom. N. T. p. 1064.

abhorret. Neque omnes fatentur, per Spiritum in ℣. 8. tertiam Deitatis personam intelligi debere; quia Edwardo spiritus est anima Servatoris à corpore soluta, & Anonymus recentior, cujus supra meminimus, per eum intelligit Prophetas Veteris Testamenti; cui & aqua est Johannes Baptista, & sanguis Stephanus, proto-martyr N.T. Si quis etiam vestigiis Whistoni vellet insistere, ne quidem quinque testes is relinqueret. Nam λόγος, qui de se testatur, idem est, qui testatur per aquam & sanguinem, duo N.T. Sacramenta, abs se instituta.

§. XXX.

Multitudo Codicum Græcorum manuscriptorum errantium à MILLIO collecta, non parit patrocinium erranti. Neque numerus eorum magnus magnum nobis incutit terrorem, eo quod plurimi ætatem quatuor vel quinque seculorum haud superant, adeoque à recentiore manu sunt profecti, testes in hac causa minus idonei. Tres duntaxat ex illis præ cæteris attentionem merentur, Alexandrinus, Vaticanus, & Cæsareus; quos suis quoque laborare nævis 100) alibi jam docuimus. Ita nec Codices à Dn. BENGELIO allati momentum secum vehunt. Nam Augustanus 6. ipsomet 101) fatente, non amplius est purus Codex, sed talis, qui interpretationi Oecumenii est insertus, & Uffenbachianus Codex saltim est chartaceus, parum accuratè scriptus, plura genuina omittens. Ex dissensu Codicis Seideliani sequitur, variantem heic deprehendi lectionem, quam ipsi largissime concedimus.

§. XXXI.

Id autem altioris est indaginis, unde hæc varians lectio sit repetenda? quæ omnium, quotquot in toto canone N. T. occurrunt, consideratione est dignissima. Eruditè conjiciunt, qui 102) dictum nostrum culpa librariorum, inde ab antiquissimis temporibus, omissum esse existimant, ut lacuna fortuita ab iisdem verbis in textu recurrentibus sit repetenda. Sed & habent 103) viri docti causas, cur varians hæc lectio Arianis, & nomina-

D tim

100) Vide Orat. Acad. Trigam. p. 10. 11. 25. seqq. 101) Appar. Crit. p. 376. sq.

102) HAMMONDUS in N. T. P. II. f. 415. MILLIUS ad h. l. f. 584. sq. BUDDEUS l. c. p. 281. WEGNERUS in Vindicatione loci 1. Joh. V. 7. 8. p. 10. MASTRICHTIUS l. c. p. 55. SMITHUS l. c. p. 55. RECHENBERGIUS in Volumine Exercitationum in N. T. p. 37. GRAPIUS l. c. p. 188. nec alienus est D. WUCHERER l. c. p. 35. Conferenda vero & sunt, quæ huic hypothesi regessit CLERICUS ad Hammondum l. c. f. 416. & in Arte Critic. P. III. S. I. C. XV. p. 239. accedente Dn. BENGELIO in Apparatu Critico p. 765. & Gnomone p. 1060.

103) MAJUS l. c. p. 221. GLASSIUS Philol. S. p. 187. SPENERUS ad h. l. p. 515. DORSCHEUS ad h. l. p. 106. Taceo THUMMIUM, BEZAM, MORINUM, JUNIUM, POLA-

tim 104) Artemoni possit tribui. Alii 105) aut incuria scribentium, aut dolo Arianorum verba nostra omissa fuisse autumant. Lego insuper, inveniri, 106) qui affirment, Orthodoxos, &, quod mireris, ipsos 107) Arianos dictum nostrum inseruisse textui. Imo & sunt, qui 108) hanc omissionem

NUM, TOSSANUM. Ab his tamen severè dissentire video WITSIUM Miscell. S. T. II. p. 112. WUCHERERUM l. c. p. 32. BENGELIUM in Apparatu Critico p. 765.

104) Ita WITTICHIUS, VEDELIUS, ITTIGIUS, KETTNERUS, KAPPIUS. Vide hujus Historiam Artemonis & Artemonitarum p. 12.

105) Vid. WOKENII Stromata Apostolica Parte Ultim. p. 20. QUENSTEDII Systema Theol. P. I. f. 348. B. AVI nostri Colleg. System. P. I. p. 369 qui tamen Arianos in Præl. Acad. P. II. p. 572. ab expunctione dicti hujus liberat.

106) Mens hæc Anabaptistarum est apud Sixtum Senensem in Bibl. S. Similia exempla collegit GLASSIUS in Philol. S. p. 184. sqq. RECHENBERGIUS l. c. p. 40, sqq. CLERICUS in Arte Critica P. III. S. I. C. XV. p. 230. sq. Adde, si placet, Orationem nostram inauguralem de Originibus variantium Lectionum N. T. p. 13. seq. Alius autem dixerit, non opus fuisse, ut dictum hoc textui insereretur, cum fides SS. Trinitatis satis fuerit tuta in prioribus à nato Christo seculis. Vide HAMMONDUM l. c. f. 416. ZORNIUM in Luthero Catholico p. 77, sqq. JANUM de Trinitate Platonismi verè & falso suspecta p. 56. seqq.

107) Insolens hæc est GROTII sententia, qui ad h. l. ita: " Neque vero ab Arianis ablatas voces quasdam, sed potius additas, unde colligerent, Patrem & Filium & Spiritum S. non esse unum nisi consensu, quomodo spiritus, aqua & sanguis in unum testimonium consentiunt. Quod cum viderent Catholici, abstulisse quidem eos illud, quod de Patre, Filio & Spiritu S. insertum fuerat, sed reliquisse illud, tres unum esse, quia id ita positum ipsis nocere non poterat. „

108) Quemadmodum post SCHELSTRATIUM Dn. BENGELIUS opinatur. Vide hujus Appar. Critic. p. 765. Ast sciri etiam debent, quæ TENZELIUS SCHELSTRATIO opposuit, quorum epitomen dedit GRAPIUS in Theol. recens controversa P. I. p. 114. seqq. Vehementer certè quis dubitaverit, dogma de SS. Trinitate in primitiva Ecclesia per disciplinam arcani fuisse occultatum, in cujus tamen nomine gentes erant baptizandæ, & quod ad ipsum in omnibus gentibus introducendum Jesu Christi discipulatum spectabat, consequenter omnibus salvandis scitu & creditu quam maximè erat necessarium. Conf. B. A. A. HOCHSTETTERI diss. de SS. Trinitate p. 1. seqq. Esto etiam, in cultu Ecclesiæ publico inter arcana relatum fuisse mysterium SS. Trinitatis, idem tamen in scriptis publicis non fuit occultatum; de quo casu dictum Johannis testatur, atque vetustissimas Patrum allegationes scriptas pro se militantes habet; certe ex illo quoque ævo, quo disci-

nem ex disciplina arcani deducant; in quo conjecturarum divortio nobis, nemine præeunte, ἐποχὴ arridet, tutissima in rebus dubiis, qualis hæc est, anchora.

§. XXXII.

Progredimur ad Versiones N.T. in quibus dictum controversum non comparet. Et heic quidem circa Versionem Syriacam ludere quis posset, qui sibi religioni non ducit, in re seria ludere. In editione enim N. T. Syriaca à GUTBIERIO curata, teste 109) REINHARDO, legitur dictum nostrum, sed eodem arbitro, primum ab ipso GUTBIERIO textui id illatum est. Sed esto, Versionem Syriacam revera dictum Johannis non legere; quid inde? Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Idem judicium valeat de cæteris Versionibus N.T. à textu originali dissidentibus. Et de Versione quidem Coptica, sive Ægyptiaca eo magis, quæ, fatente 110) SIMONIO, convenit cum editione Latina, ubi Græco textui conformis non est; de Arabica, quæ juxta dissentientem SIMONIUM minimè pura est, & Syriacam ut plurimum sequitur; de Æthiopica, quæ judicio SIMONII parum accurata est, ut ampliori consideratione sit protinus indigna. Non repetam ex 111) LUDOLPHO, quod Polyglottis Anglicanis versio Æthiopica impressa, retentis mendis veteribus, & novis superadditis, inserta sit; fidem rei ulteriorem faciente Æthiope, quem in convictu habuit LUDOLPHUS, qui in multis versionem editam differre ajebat ab exemplaribus manuscriptis patriæ suæ. Demum B. LUTHERI Versio opponi non debet, quæ plus non probat, quam Megalandrum incidisse in exemplar manuscriptum, in quo locus noster non extabat; qualia plura in medio esse haud diffitemur. LUTHERUM autem eapropter hæreticum fuisse, atque Anti-Trinitariis ex proæresi frigidam suffudisse, scomma est & calumnia, non objectio, quam in exilium pridem miserunt

plina arcani asseritur introducta fuisse. Si denique omissio dicti nostri ex disciplina arcani est repetenda, cur alia dicta de SS. Trinitate agentia, quæ magno numero à nobis sunt allata, ex eadem ratione non sunt omissa? Suo itaque authori relinquimus, quæ de disciplina arcani in ordine ad dictum nostrum scripsit: "hæc seculo II. multos induxit, ut initio à codicibus publicæ duntaxat lectioni destinatis dictum removeretur, qui cæteros brevi tempore apud Græcos absorpserunt."

109) Diss. de Versione Syriaca Novi Testamenti à textu Græco recedente p. 10. Consentit RAMBACHIUS in Institut. Hermeneuticæ sacræ p. 614.

110) Adde WHITBYUM l. c. p. 64. qui & de Versione Arabica consuli debet p. 72. & de Æthiopica. p. 66.

111) Vid. FABRICII Biblioth. Græcam L. IV. C. V. p. 192.

runt 112) NICOLAI, 113) RAITHIUS,
CHIUS, 117) BAJERUS. §.X

Si dicenda sit sententia de Pat
vata dictum Johannis laudare neg
præteritione loci biblici ad negat
valeat consequentia. In Concili
mysterium SS. Trinitatis, quam di
itaque videri non debet, quod alii
per, observante BUDDEO, quæ exsta
tionesque continent, in quibus n
in symbolo Nicæno. Taceo, Pat
haud parvam 118) Arianismi veni
ut mirum non sit, eos, quasi re ben
pede præteriisse. Et, si Augustinu
119) BENGELIUS, potius dissimulant
raverunt, duo Patres Ecclesiæ cele
tione versus sexti & octavi, omis
Patres, vel Codices integros hau
glectis accommodatioribus citas
rum non fuit alienum. §.X

Demum & Codices Græci imp
excellenti nostro carent oraculo.
editionibus citatis id non compar
quod editores erraverint, & forte
res Codices manuscriptos non hab
etiam magno numero haud potu
codices epistolarum catholicaru
quanta Evangelia quatuor, Acta
Egregium vero illud est, quod i
hic error correctus, nostrumque
locum fuerit restitutum.

112) Symb. Luth. p. 59. & Luthero à
113) Vindic. Versionis Lutheri p. 18.
115) De Origine Socinianismi ab Eccl
116) De Origine & progressu Trith
117) De Variantium lectionum Script
118) Ob paginæ angustiam lectori co
runt PETAVIUS, CURCELLÆUS, CL
D. WEISMANNI Schediasmata Acad
119) Apparat. Critic. p. 756. seqq.

AITHIUS, 114) ZORNIUS, 115) BUDDEUS, 116) WAL-

§. XXXIII.

a de Patribus, qui in causa Ecclesiæ publica & pri-
dare neglexerunt, ea huc redire videtur, quod à
d negationem authoritatis ejus canonicæ non
Concilio etiam Nicæno & Sardicensi non tam
quam divinitas Christi probari debuit. Insolens
quod aliis dictis ibi fuerit pugnatum. Acta insu-
uæ exstant, Nicæni Concilii decisiones, constitu-
quibus nulla scripturæ dicta allegantur, uti nec
aceo, Patres etiam Ante-Nicænos in suspicionem
smi venisse, nec verè semper de Trinitate sensisse,
asi re benè gesta, dictum nostrum classicum sicco
ugustinus vel etiam Hieronymus, uti statuit Dn.
ssimulanter tractaverunt hoc dictum, quam igno-
esiæ celebres jam nostri sunt. Præterea, ex allega-
avi, omisso septimo, plus non conficitur, quam
gros haud usurpasse, vel dicta minus congrua, ne-
bus citasse, quod à consuetudine illorum tempo-

§. XXXIV.

ræci impressi sub considerationem veniunt, qui
raculo. Esto hactenus, rem ita se habere, & in
comparere, quid inde consequitur? Id profectò,
, & forte etiam bona fide erraverint, quia melio-
s non habuerunt, in quibus dictum exstitit; qui
ud potuerunt in subsidium adhiberi, eo quod
olicarum tanta copia non fuerunt manu exarati,
r, Acta Apostolorum, & Sancti Pauli Epistolæ.
, quod in sequentibus Editionibus N. T. Græci
rumque dictum authenticum in pristinum suum
.

Luthero à septem characteribus Foreri vindicato p. 73.
eri p. 18. 114) l. c. p. 14. seqq. inprimis p. 39. seqq.
ni ab Ecclesiæ emendatione non repetenda p. 20. seqq.
essu Tritheismi p. 76. sq.
um Scripturæ N. T. usu & abusu p. 43. sq.
lectori commendamus, quæ de hoc argumento scripse-
ÆUS, CLERICUS, CUDWORTHUS, alii. Conf. S. R. D.
ata Acad. p. 28, seqq. WALCHIUM l. c. p. 24. 28. 40.
6, seqq.